



R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

III. Vltior superioris doctrinæ explicatio, & ab argumentis contrariis
vindicario.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95236)

partes eius totaliter sumptas, seu, quod perinde est, quam totum, quod ex eius partibus, anima nimirum, & corpore, efflorescit.

2.1 Tertia ratio sit: substantia compositi est illa, quæ quicquid est in composito sustentat, & in qua partes omnes compositi, tam essentielles, quam accidentales insunt, ilque subsistit, ut ex ipso vocis etymo apertura est: quapropter Psalmo 68. regius vates habet; *infixus sum in limo profundi*, & non est substantia; alij vertunt; *non est substantia*: id est in altissimo tot calamitatum pelago fundum despero, cui subsistere possum, ne demergar. At partes omnes substantiales compositi, eiusque accidentia omnia in composito suæ toto per se insunt & inexistunt, ut omnibus est in confesso. Compositum ergo, suæ totum per se est formaliter substantia, atque hypostasis.

2.2 Quarta ratio sit: quia in rebus corporeis ex materia, & forma concretis natura, & substantia realiter distinguuntur: contra verò in Angelis natura, & substantia sunt realiter indistinctæ. At huius discriminis alia esse causa nequit, nisi quia in rebus corporeis natura non aliud est, quam earum partes, nimirum materia, & forma, ut cap. præterito ex Aristotele statui; earum vero substantia non aliud, quam compositum suæ totum per se: totum autem huiusmodi, & partes physice realiter distinguuntur. Cæterum natura Angelica in partibus logicis, aut, ut alij loquuntur, metaphysicis Angeli, genere scilicet, & differentia consistit (alias enim partes non habet) & substantia Angelica in toto per se logico, seu metaphysico: totum autem metaphysicum suæ logicum à suis partibus realiter non distinguitur: quæ ratio discriminis sanè nulla esse potest, nisi substantia, siue hypostasis in toto per se formalissimè consistat: ergo in eo consistit.

2.3 Prior pars maioris, qua usus sum in superiori argumento, manifesta est ex incarnationis mysterio: nisi enim natura hominis ex materia, & forma compositi distinguere realiter ab eius substantia, certe Verbum diuinum assumpta natura humana humanam etiam substantiam non posset non assumere: unde in Christo duæ essent personæ: cuius oppositum tamen contra Nestorium fide sanctum est. Posterior autem eiusdem maioris pars est B. Thomæ 1. p. q. 3. art. 3. ibi: *In his igitur, quæ non sunt composita ex materia, & forma, in quibus individuatō non est per materiam individuale, id est per materiam, sed ipsæ forme per se individuantur, oportet quod ipsæ forme sint suppositæ substantiæ: unde in eis non differt suppositum, & natura.* Hactenus ille. Et quidem substantiæ Angelicæ ab eius natura realiter distinctæ nulla necessitas, vtilitas nulla est.

2.4 Quinta ratio sit ex Concilio Florentino sess. 18. ibi; *Porrò autem actiones, iuxta omnem scholasticorum scholam, suppositorum esse videntur, ut in hominum genere fieri videmus: quamvis enim hic homo, hoc est persona, vel suppositum generet, eius tamen substantia generationis eiusmodi principium est.* Ex quibus verbis sic argumentor: actiones sunt suppositorum, & suppositis attribuantur: at actiones partium toti ex iis per se resultant attribuantur: qua ratione Aristoteles lib. 1. de anim. text. 64. ait ibi; *Melius dici animam non misereri, aut discere, aut ratiocinari, sed hominem animam: totum igitur per se, suppositum, siue substantia est.*

2.5 Sexta ratio est ex iis verbis Boëtij in lib. de duabus naturis; *persona est rationalis natura individua substantia*: Quam definitionem personæ amplectuntur unanimi consensu omnes Theologi, & Philosophi: R. P. Richardi Lyncei, Philosophia Tom. II.

at hoc numero totum per se, quod ex anima rationali, & corpore resultat, seorsim à quouis alio est rationalis naturæ individua substantia. Quidni ergo totum illud, circumscripto quouis alio, sit substantia siue hypostasis.

Septimò, ac postremò ostendo à nobis stake B. Th. 1. p. q. 75. art. 2. ad 1. ibi; *Hoc aliquid potest accipi dupliciter: uno modo, pro quocunque subsistente: alio modo, pro subsistente completo in natura alicuius speciei: primo modo excludit inherentiam accidentis, & formam materialis: secundo modo excludit imperfectionem partis: unde manus posset dici aliquid primo modo, sed non secundo: & idem est de anima.* Quibus verbis per hoc aliquid substantiam intelligit, ut docet P. Suarez disp. 36. Met. sect. 5. & uno modo substantiam existentiam, siue existentem per se usurpat, iuxta ea quæ ad huius initium capituli edocui: alio verò modo substantiam, pro eo quod excludit imperfectionem partis, accipit: omne autem excludens imperfectionem partis est totum: substantia igitur siue hypostasis, iuxta B. Thomam, est ipsum totum, quod à partibus realiter distinguitur, earumque imperfectionem formaliter excludit.

Fauet etiam Angelicus præceptor in secundum sent. dist. 3. q. 1. art. 1. corp. fauētque, non solū quoad identitatem substantiæ cum composito physico, & per se, sed etiam quoad huius à partibus suis distinctionem realem, de qua tract. præced. necnon quoad indistinctionem substantiæ, & naturæ in Angelis paulò supra à nobis constitutam, dum quarto loco argumētaremur. Verba S. Doctoris sunt; *Sed cum quidditas, quæ sequitur compositionem, dependeat ex partibus, oportet quod ipsa non sit subsistens in esse, quod sibi acquiritur, sed ipsum compositum, quod suppositum dicitur: & ideo quidditas compositi non est ipsum quod est, sed est hoc quo aliquid est, ut humanitate est homo: sed quidditas simplex, cum non fundetur in aliquibus partibus, subsistit in esse, quod sibi à Deo acquiritur, & ideo ipsa quidditas Angeli est, quo subsistit ipsum suum esse.* Hactenus ille.

Vbi, cum docet, quidditatem alicuius rei substantiæ materialis compositæ, siue, quod perinde est, partes quidditatiuas, & essentielles non subsistere se ipsis, solūve compositum se ipso subsistere; an non totum compositum à partibus realiter distinguit? Rursus, cum ait, quidditatem compositi, siue hoc quo est, aut, quod perinde est, partes compositi non esse compositum, vel ipsum quod est, nōne eandem distinctionem totius compositi à partibus repetit. Præterea verba illa, *Ipsū compositum quod suppositum dicitur, quid nisi substantiam in composito, ac toto per se consistere denotant: Tandem illa clausula; Et ideo ipsa quidditas Angeli est, quo subsistit ipsum suum esse, adeo manifestè significat, naturam Angeli, & eius substantiam realiter non distingui, ut nihil esse possit manifestius.*

CAPVT III.

Utr. superior doctrina explicatio, & ab argumentis contrarijs vindicatio,

Arbitrabitur fortasse aliquis, nostram de hypostasi sententiam parum, aut nihil abesse ab opinione Durandi: quam tamen P. Suarez disp. 36. Met. sect. 1. suppositis mysteriis fidei nullo modo defendi posse merito pronuntiat. Quare opere prætium erit, nostram sententiam amplius explicare, & eius ab exosa, & exoleta iam sententiâ discrimen statuere.

Durandus ergo in 1. dist. 34. quæst. 1. docet, subsistentiam humanam à natura humana sola consideratione differre; quo fiet, ut Verbum assumpta natura humana subsistentiam, siue personam humanam assumpserit, quod Nestorianum, & hæreticum est. At in nostra sententia subsistentia humana à natura humana manifestè distinguitur realiter: siquidem natura humana propriè sumpta est sola materia, & forma hominis; totum autem ex iis resultans propriè natura non est, sed natura constat, ut expressis, & conceptis verbis docet Aristoteles c. 1. huiusmet tractatus: subsistentia verò humana est totum, quod ex partibus resultat. Cum ergo totum à partibus simul sumptis realiter distinguatur, sanè subsistentia hominis ab eius natura realiter distinguitur, ac proinde Verbum assumere potuit naturam humanam, quin subsistentiam humanam assumpserit. Præterea, & eodem redit: Durandus totum à partibus simul sumptis realiter non distinguit: quare cum Christus Dominus partes humanitatis simul sumptas assumpserit, totum ex iis resultans non potuit non assumere; id quod ipse Durandus differtè fatetur: quando ergò subsistentia in toto sita est, Christum Dominum subsistentiam humanam assumpsisse ei necessario fatendum est. At in nostra sententia, in qua partes à toto distinctæ, & quodammodò separabiles sunt, Christus potuit assumere partes naturæ humanæ, quin earum totalitatem siue integritatem assumpserit, ac per consequens nec subsistentiam. Hactenus primum argumentum contra nostram sententiam cap. præcedenti propositam, necnon eius solutio.

30 Argumentaberis aduersus eam secundo: Verbum assumptis totum illud per se, quod ex corpore, & anima rationali Christi Domini resultat: atqui non assumpsit subsistentiam ullam, ut fide cautum est: subsistentia igitur à toto distinguitur. Maior probatur: primò quia Verbum assumpsit humanitatem; aliàs quæ ratione homo factus esset: sed humanitas in toto ex corpore, & anima resultanti tota posita est. Secundo, & recidit in idem, quia Verbum diuinum totam essentiam hominis assumpsit (essentia enim hominis à natura humana non differt, totam autem naturam humanam assumpsit, ut de fide est:) at essentia hominis in toto, quod ex eius partibus resultat: formalissimè sita est.

31 Respondeo Verbum diuinum non assumpsit totum per se, siue totalitatem, & integritatem illam, quæ ex corpore, & anima sibi vnitis resultasset, si non vnirentur: aliàs aliquam substantiam non solum partialem, & incompletam, verumetiam completam assumpsisset, quam postea mislam faceret; contrà illud à nemine non receptum principium, *Verbum, quod semel assumpsit, nunquam demisit*: siquidem integritas & totalitas illa, quæ ex corpore, & anima vnitis iuxta aduersarios resultat, in triduo mortis Christi ei non deesse non potuit. Quocirca maior argumenti falsa est, ac neganda.

32 Ad primam autem negatæ maioris probationem dicendum est, Verbum assumpsisse quidem humanitatem; at hanc non consistere realiter, & per identitatem veram, in totalitate, de qua agimus, sed potius in sola materia, & forma hominis. Quod suadeo, quoniam ea totalitas est homo: at humanitas non est omnino idem ac homo: ergò nec idem atque præfata totalitas: id patet, quia aliàs Verbum assumens humanitatem assumpsisset hominem, cuius contrarium docent contrà Ludouicum Viues omnes scholastici, ut testatur P. Vasquez tom. 1. in 3. part. disp. 35.

cap. 1. num. 1. Rursus humanitas perinde est, ac natura humana: hæc autem consistit formaliter, non in toto resultante ex partibus hominis, nempe materia, & forma, sed in his ipsis, ut capite primo huius tractatus demonstratum est in earundem ergò partium collectione, non verò in toto, quod constituunt, collocanda est humanitas. Denique quod humanitas non sit integritas realiter distincta à partibus est sententia B. Thomæ lib. 4. contra gentes cap. 81. ad 3. ubi sic inquit: *De humanitate non intelligendum, quod sit quadam forma consurgens ex coniunctione forma ad materiam, quasi realiter sit ab utroque: quia cum per animam fiat materia hoc aliquid actus, ut dicitur secundo de anima, illa tertia forma consequens non esset substantia, sed accidens.*

33 Rectè autem Angelicus præceptor de humanitate colligit fore accidens, si distingueretur realiter à partibus hominis: haud enim esset materia, forma substantialis, aut earum vnio, vel subsistentia: quid ergo nisi accidens esset? At de homine non potest similiter inferri, quod sit accidens, esto iuxta nos distinguatur à partibus suis simul sumptis: nam, quamuis non sit earum aliqua, est tamen subsistentia; quod ei sufficit, ad hoc ut sit substantia, non accidens. Ad alteram porro negatæ maioris probationem dicendum est, essentiam hominis aliam esse constitutiuam, aliam constitutam, siue completam: Verbum autem totam essentiam constitutiuam hominis, non vero totam eius essentiam constitutam siue completam assumpsit; id enim fuisset assumere hominem, quod nequit admitti: quare, cum totum, de quo loquimur, non in essentia constitutiuam siue natura humana, sed in essentia constitutam atque completa formaliter consistat, non est, cur Verbum assumpsisse debuerit eiusmodi totum.

34 Argumentaberis tertio: subsistentia Angeli ab essentia singulari completa Angeli realiter distinguitur: ergò & subsistentia hominis ab essentia singulari completa, quæ ex corpore & anima rationali resultat. Consequentia videtur proba. Probatur antecedens: primò, quia quæ in Deo virtualiter distinguuntur, ea realiter distinguuntur in rebus creatis: quo pacto intellectio, & volitio, ut in Deo virtualiter, sic in nobis sunt realiter distinctæ: sed essentia singularis completa Dei siue deitas à subsistentia diuina virtualiter distinguitur: ergò essentia singularis completa Angeli, & cuiusvis alterius creaturæ à subsistentia sua non poterit non realiter distingui. Secundo, quia nulla substantia creata possibilis est, quæ alicuius compositionis accidentalis capax non sit: ergò nec quæ alicuius substantialis capax non sit: at nisi in Angelo subsistentia ab eius essentia realiter distingueretur, & cum ea compositionem substantialem efficeret, sanè Angelus omnis compositionis substantialis esset expers. Tertiò denique, quia Verbum assumere potuit essentiam singularem completam Angeli: at non potuit assumere subsistentiam siue personalem Angeli: aliàs in Verbo sic vnito, & Angelo, in tempore, facto, duæ personæ esse possent: atque adeò non esset cur in Christo, siue Deo homine eæ similiter esse non possent: igitur essentia singularis Angeli ab eius subsistentia realiter distinguitur. Maior perspicua est ex illo Pauli ad Hæbreos 2. *Nusquam Angelos apprehendit*: ubi Paulus supponit, Deum assumere potuisse naturam Angelicam, non minus quam humanam: at noluisse propter specialem erga homines, & maiorem quam erga Angelos, beneuolentiam, ut plerique Patres præsertim Lactantius interpretantur.

Respon

35 Respondeo, negato antecedenti: Ad primam eius probationem dicendum est, non semper quæ in Deo virtualiter distinguuntur, oportere realiter distinguere: siquidem in Deo gradus metaphysici superiores, & inferiores sunt virtualiter distincti, tantundemque, & non amplius distinguuntur in rebus creatis: quare quamvis, &c. Deinde natura diuina, iuxta non paucos Theologos, præter substantias relativas habet substantiam quandam absolutam à se virtualiter indistinctam: non est ergo, cur substantia Angelica, quæ quidè absoluta est, ab eius natura siue essentia realiter distinguatur. Quod autem substantiæ relativæ virtualiter distinctæ sint à natura diuina, non obest: tum quia relativæ sunt, & non absolutæ, ad instar substantiæ Angelicæ: tum etiam, quia earum virtualis à deitate distinctio, coniuncta cum earum inter se reali distinctione, proficiscitur ab infinita Dei fecunditate, quæ in creatis locum non habet: tum denique, quia alias, sicut natura diuina tribus illis substantiis relativis virtualiter à se distinctis subsistit, ita natura Angelica tribus similiter substantiis à se realiter distinctis denominari posset, & deberet subsistere.

36 Ad secundam probationem eiusdem antecedentis dicendum est, fortassis non repugnare in alia rerum serie substantiam creatam, quæ se ipsa vbiata, durans, quanta, & qualis, omnisque compositionis accidentalis expers sit: unde non est cur, &c. Et quidem P. Suarez disputat. 31. Metaphys. sect. 13. num. 26. postquam dixit; *probabile est, nullum esse possibile ens creatum, quod in re ipsa non habeat compositionem aliquam ex subiecto, & accidente*; patet inter cetera ibidem addit; *An verò hoc sit necessarium in omni substantia creata, vel creabili, non satis constat, nec videtur posse demonstrari ex sola ratione entis creati ut sic, quamvis probabilior sit sententia, quæ hoc affirmat.* Vbi satis indicat probabilitatem sententiæ affirmantis, non repugnare substantiam creatam, finitamve nulla compositione accidentali præditam. Sed ea sententia falsa esto, si liber: certe à compositione accidentali Angeli ad substantialem eius compositionem perperam arguitur: alias sicut multiplici compositioni accidentali subest, ita etiam non vnam compositionem substantialem ex natura, & substantia, sed longè plures poterit suscipere: quod tamen adeò est absurdum, ut nihil supra.

37 Ad tertiam eiusdem etiam antecedentis probationem dicendum est, locum illum Pauli ad Hebræos 2. superius obiectum, non de assumptione per unionem hypostaticam, sed de cura Angelos redimendi, à P. Ribera & aliis intelligi: quasi diceret Apostolus; nusquam Deus Angelos redimendos suscepit, post eorum lapsum, pro eo ac potuit. Rursus Verbum diuinum substantiam Angelicam, & quamvis aliam creatam sibi hypostaticè vnire valuit; idque Paulus ubi supra fortassis supposuit: quod autem hinc sequatur in Christo duas personas esse posse, iuxta aliam utique prouidentiam ac rerum seriem, nullatenus absurdum est: cum Ecclesia contra Nestorium, & alios tantum damnarit, eas actu Christo inesse, siue eas in esse Christo, qui modò est, non qui esse posset.

38 Argumentaberis quartò: si substantia seu personalitas hominis v.g. esset formaliter totalitas ex eius partibus resultans, haud posset explicari de eiusmodi personalitate, & totalitate, in qua ponitur, an esset spiritualis, vel materialis, ut obicit P. Suarez citata disputat. 36. Metaphys. section. 3. num. 10.

parum ante finem: cur enim sit potius materialis, ratione corporis, quod connotat, quam spiritualis, beneficio animæ rationalis, quam æquali necessitate præsupponit? At quod sit, vel materialis, vel spiritualis, est prorsus necessarium. Respondeo, vti, in sententia P. Suarez, & communiori Doctorum, non est inexplicabile de vnione corporis, & animæ rationalis, an sit spiritualis, vel materialis, sed potius ea materialis euadit, denominatione sequente debiliorem partem, de quo supra tractat. 8. cap. 5. ita similiter magis erit, ut substantia hominis, & integritas in qua consistit, materialis sit, à corpore cui affigitur, quam spiritualis, ab anima rationali, quam corpori vnitam necessario postulat.

Argumentaberis quintò: homo est personalitas hominis: homo autem non consistit in integritate, seu totalitate ex partibus suis, nimirum materia, & forma vnitis, distincta, & resultante: ergo nec in ea consistit personalitas, siue substantia humana. Maior est à nobis supra sapillimè concessa, nec concessa solum, sed ex professo probata. Minor suadet: quia in morte hominis nequit non perire totalitas ex vnione partium hominis necessariò dependens, ac resultans: ergo, si in ea totalitate consistit formaliter, & per identitatem homo, non poterit hic, dum moritur, non perire ac destrui secundum suam substantiam, & prædicata quidditatiua atque essentialia. Consequens autem est contra Dionysium de Cælesti Hierarchia, ubi sic inquit *Mors in nobis non est substantia consumptio, sed vnionum separatio.* Respondeo, Dionysium loco citato intelligere nomine substantiæ naturam, ac non aliud asserere, quam quod homine moriente haud pereat eius natura strictè sumpta, id est materia, & forma rationalis: at cum hoc cohæret, quod, præter vnionem partium hominis, pereat huius substantia completa, & personalis, quatenus à natura distinguitur: nihil ergo asseruimus, quod possit ex Dionysio, aut aliis Patribus refelli.

Argumentaberis sextò ex Aristotele 7. Metaph. 40 text. 60. ubi sit ait; *Et caro non solum ignis & terra, sed etiam aliquid aliud*: quo loci caro sumitur pro carne completa, totoque animali: admodum, quo Genes. cap. 6. cum dicitur; *Omnis quippe caro corruerat vim suam, super terram*; Sanè particula illa, *caro*, per synecdochen significat totum hominem, ut notant super eum locum noster Cornelius à Lapide, & communiter alij expositores. Tum sic: caro completa, siue animal est suppositum: at iuxta Philosophum caro completa animalve præter partes inuoluit aliud quiddam, nempe integritatem ex partibus resultantem: suppositum ergo, aut substantia creata non est sola integritas partium, uti nos adstruximus supra, sed simul integritas partium, & hæ ipsæ, siue harum, & illius complexum. Respondeo, suppositum includere quidem iuxta Aristotelem tam partes, quam partium totalitatem; sed aliter, & aliter: nam est totalitas formaliter, & per identitatem; contra verò de partibus ipsis dicitur non formaliter sed causaliter, ut constat ex dictis tract. præcedenti capite quinto.

Argumentaberis denique septimò: si homo, seu substantia personæ hominis esset integritas ex natura humana, aut humanitate, materia scilicet, & forma rationali, resultans; non posset homo non distingui realiter adæquatè ab humanitate, & hæc adæquatè esse extra conceptum illius. Consequens autem est absurdum: quid enim intimius, aut identificius alteri esse potest, quam

humanitas homini? Certè Deus non distinguitur realiter adæquatè à Deitate, nec res à realitate, ensve ab entitate; nec album ab albedine; nec hic homo, qui est Christus, à sua humanitate, materiaque, & forma rationali assumptis: idem reperire est in cæteris concretis, & abstractis: similiter ergo in præsentis, &c.

42 Respondeo concessa sequela, & negata consequentis absurditate. Ad inductionem autem contrariam dicendum est, eam haud benè probari humanitatis cum homine puro identitatem realem adæquatam. Namque in primis, quod Deus, & Deitas nullatenus distinguantur realiter, oritur ab utriusque infinitate; quæ ratio in nobis non procedit: sic etiam in Deo sapiens, & sapientia non distinguuntur realiter; & tamen in creaturis distinctionem habent realem. Rursus ens, & res ob id non distinguuntur realiter ab entitate, & realitate, quia sunt termini transcendentes, de quorum ratione est, imbibere in quibusvis conceptibus obiectivis, adeoque in suismet abstractis, at quis videat, hominem non esse terminum transcendentem? Præterea album ideo non distinguitur realiter ab albedine, sed eam, & parietem per identitatem includit, quia est ens per accidens: homo autem est ens, vnumque per se, ut dictum est. Ulterius ea de causa hic homo, qui dicitur de Christo, intime, & per veram iden-

titatem includit corpus, & animam, adeoque humanitatem, quia quamvis eam ita includat, potest esse ens per se, ut supra demonstratum est tractat. 9. cap. 7. At si homo purus, quem ab eius personalitate non distinguimus, involueret identicè ac formaliter collectionem partium suarum, non posset esse ens per se, non nisi per accidens tale: proinde, &c.

Insuper, iuxta non paucos aduersariorum haud 43 potest esse verum, cætera omnia concreta debere aliquo modo identificari cum abstractis à quibus dicuntur. Siquidem ens, & essentia sunt quasi concreta, & denominatiua ab esse, siue existentia, à qua tamen iuxta Thomistas plerosque realiter distinguuntur. Iuxta eiusdem etiam scholæ nonnullos esse cognitum est ens rationis, adeoque realiter adæquatè distinctum à cognitione, quippe quæ est proculdubio ens reale: & tamen cognitio, & cognitum instar concreti, & abstracti comparantur inuicem. Denique, tametsi in cæteris concretis, & abstractis repugnaret distinctio realis adæquata inter illa, quod nihilominus non possit repugnare, sed potius sit necessaria inter concreta substantialia, & per se finiti omnino ordinis, eorumque abstracta, cuiusmodi sunt homo, & humanitas, equus, & equinitas, &c. abundè à nobis est in superioribus probatum.

